



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 54. Lutheri Secta a Brandenburgico Electore cum Calvinismo  
commutata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

**Sæc. XVII.**, quentes severissimam poenam incur-  
**A. C. 1614.**, ,rant. Dispensationes in causis matri-  
 monialibus omnes imposterum cessent,  
 „ & matrimonia de jure prohibita seu il-  
 „ licita sub severissima poena vitentur.  
 „ Ad extremum præcipio etiam, ut pro  
 „ vitando scandalo, & in eorum, qui  
 „ capiendis & vendendis piscibus ope-  
 „ ram dare solent, gratiam, a carnis  
 „ in conviviis & diversoriis publicis, Ve-  
 „ neris. Saturni & aliis interdictis sive  
 „ abstinentiæ Catholicæ diebus, omnes  
 „ abstineant.,

## §. LIV.

*Lutheri Secta a Brandenburgico Ele-  
 ctore cum Calvinismo commutata.*

*Merc. Gall.  
 t. 2. tom. 10.*

Hoc item anno Joannes Sigismundus Brandenburgicus Elector longe aliam, diversamque Sacrorum mutationem, ac sectæ nundinationem instituit, dum magnam partem gentis illius, quæ vetustis Wandalis oriunda Marchiam hodie Brandenburgicam tenet, a Lutheri ad Calvini sectam suo exemplo ac mandato compulit, ea permotus ratione, quod quam longissime a Catholicorum cultu recederet; haec vero Principis sui imperies subditorum, qui Lutheri adventis assueverant, animos tantopere exulcerabat, ut Berolini ferme ad se ditio-

*Chuver. epi-  
 tom. ad hunc  
 ann. pag.  
 772.*

ditionem res spectare videretur, ad hanc <sup>Sæc.</sup> XVII.  
 ritus Lutherani immutationem, tum- <sup>A.C. 1614.</sup>  
 ultuante plebe, ac Calvinistarum præ-  
 conum ædes spoliante. Haud pacatio-  
 res erant utriusque Sectæ Præcones,  
 qui inter se ipsos calamo & ore fævie-  
 bant, atque alius alium de Templorum  
 pulpitis rabularum more contumeliosis  
 declamationibus tanta populi offensione  
 proscindebant, ut Elector hosce Pastor-  
 culos, quatenus a jurgiis, & ejusmodi  
 contentionibus abstineant, promulgato  
 edicto monere compelleretur: „His al-  
 „tercationibus, inquiebat Elector, qui-  
 „bus aliqui in alias Ecclesias, quibus  
 „ipsi tamen judices nunquam dati fue-  
 „runt, mordacibus verbis pro concione  
 „invehuntur, easque modis omnibus  
 „calumniantur, reprehendunt, exe-  
 „crantur, & condemnant, modum ali-  
 „quem statuere, nostrarum partium est.  
 „Idem fecerunt anno Christi millesimo  
 „quingentesimo sexagesimo secundo  
 „Brunsvicenses & Luneburgenses Du-  
 „ces, & quarto post anno Augustus Sa-  
 „xoniæ Elector, & novissime ante tra-  
 „decim annos Joannes Lignitensis. Id  
 „quoque suadet transactio cum Luthe-  
 „ranis Principibus facta. Exin autem  
 „facile omnes æstimare possunt, quam  
 „fæpe animo commotus fuerim, quod  
 „longo hactenus tempore multos in meo  
 „Ele-

Sæc. XVII. „Electoratu (& quidem tales, qui am-  
A.C. 1614. „bitione potius, quam zelo pietatis du-  
„cti, nec minimum, si in arenam de-  
„cendere cogerentur, præstare, vel si  
„lucri aliquantulum facere possent, ad  
„Pontificios facile transirent) gloriam  
„apud homines magis quam apud Deum  
„captando, imprecationibus, crimina-  
„tionibus, calumniis, diris, obtrecta-  
„tionibus, execrationibus, & id genus  
„vociferationibus aliis templo, & pul-  
„pita omnia complere audierim, verum  
„falsumve & loco tam facro conveniens  
„indecensve an proferrent, attenden-  
„tes minime, dummodo Christianos  
„alios urerent, morderent, satisfacerent  
„affectibus, bilem profunderent, &  
„communibus nostris hostibus Jesuitis,  
„Pontificiisque aliis risum moverent,  
„ansamque calumniandi præberent.

„Sacra certe Scriptura non vult, ut  
„qui in fundamento Religionis, scilicet  
„solis Christi meritis convenient, ex  
„Christiana Ecclesia excludantur. Nec  
„etiam vult, ut quod controversum est,  
„criminationibus & calumniis (quod  
„Diaboli proprium est,) vel conjectu-  
„ris, & falsis allegationibus, sed verbo  
„Dei confutetur. Inde apparet, quam  
„longe importuni isti vociferatores a  
„vero tramite aberrent. Constituo igi-  
„tur & præcipio, ut omnes Ministri  
ver-

„Verbum Dei ex Augustana Confessio- Sæc. XVII.  
 „ne emendata, ejusque apologia, in A.C. 1614.  
 „termillis omnibus otiosorum, & am-  
 „bitiosorum Theologorum primatum  
 „Ecclesiæ & brachium sæculare affec-  
 „tantium interpretationibus, in Tem-  
 „plis proponant, atque criminationi-  
 „bus aliarum Ecclesiarum prorsus absti-  
 „neant: quicunque autem contra man-  
 „datum hoc deliquerint, verbis pri-  
 „mum, postea Ministerii amotione, aliis-  
 „que poenit mulctabuntur: si qui au-  
 „tem conscientiis suis frœnum hoc e-  
 „dicto injici putaverint, nullatenus ob-  
 „sto, quo minus ministerio suo se abdi-  
 „cent, & impetrata venia ex Electo-  
 „ratu meo discedant, seque ad ea loca  
 „conferant, ubi ipsis scœvire & Christia-  
 „nos alios convitiis proscindere, & con-  
 „demnare licuerit: Si autem huic man-  
 „dato obtemperantes ab aliis scripto  
 „vel ex suggestu infamia aliqua affician-  
 „tur, aut ad certamen provocentur,  
 „absque meo consensu in arenam non  
 „descendant, sed ejusmodi vociferatio-  
 „nes contemnant., Hæc fuit summa  
 celebris illius edicti, in quo plane mul-  
 ta occurrunt, quæ Catholicorum crisi  
 relinquimus.

## §. LV.